

### Negligencia A

Si curare parva negligimus insensibiliter seducti audaciter eciam maiora perpetramus.

Gregorius in moralibus.

### Negligencia B

Sicut in uno quoque mater est diligencia, ita universe doctrine et discipline noverca est negligencia.

Boecius de disciplina scholarium.

### Negligencia C

Quodammodo custodiri negligencius solet quicquid facile creditur posse reparari.

Iohannes Cassianus.

### Negligencia D

Turpissima est iactura que per negligenciam fit. Quem michi dabis qui aliquid precium tempori ponat, qui diem estimet, qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur quod mortem non prospicimus. Magna pars iam eius preteriit, quicquid etatis retro est mors tenet tu vero omnes horas complectere sic fiat ut minus ex crastino pendeas si hodierno manum inieceris.

Seneca in epistolis.

### Negligencia E

Negligencia est animi torpor quo quis minus diligens est in exequendo quod exequi debet.

Hugo.